202



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS; manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Sabbati quartâ mensis Januarii Anno Domini M. DCC. XLIV.

M. LUDOVICO DE SANTEUL,
Doctore Medico, Præside,

An Cogenda Revulsio.

I.



VALETUDO quoddam est totius Hominis æquilibrium, mathematicè minùs quàm physicè spectandum; Ubi corruit aut destruitur, Mors est. Si titubet, jam surgit ad Delinquendum dispositio, si pervertatur fit Morbus, si quam additionem, vel detractionem postulet, Medicina est, Vitæ scilicet periodus, per quam veluti instinctu, aut ex propriâ attentione, vel ex aliorum opinione, Quis utens nunc rato regimine, nunc reme-

dio, majores, aut adventitias experitur Motiones, suis viribus attamen inferiores, secus funestas. In iis ritè temperandis constat legitima curatio. Ea est pro diversis naturæ moliminibus idonea cujusvis auxilii admotio. Frustrà liquet præsidium nisi priùs & sagaciter innotescat vis & ordo sensilium corporis motuûm. Isti sensiles motus sunt actiones, mutationes, simul & signa morbosi sanive statûs. Pendent iidem ab integrâ vel vitiatâ nutritione. Vitiatur nutritio ex solido, aliàs magis, aliàs minùs agente quàm reagente fluido. Vices istius inversæ in quarumcumque partium motibus proportionis continent occulta morborum germina; Citiùs ociùsve sese evolvendo, duos priores exerunt effectus, nempe primò Plethoram, dein Cacochymiam. Utriusque materies succus est Nutritius, sed hic in plethorâ refluit tantum & deviat, è contra & præterea, semperque secundariò lentescit & vellicat in cacochymiâ. Quando ruit in totum corpus quoquo modo depravatus, minus adest periculi, quâm ubi unam impetit partem. Ista enim pars vel gravata malè admittit aut continet liquida eademque sinit hinc indè quasi spontè disjici, vel resistens, fluida retorquet, fibræque tum suæ, tum aliæ præsertim vicinæ, demum cæteræ omnes convelluntur, Machina utique dilabitur. In morbo igitur ac in sanitate, qualecumque sit, servandum est æquilibrium. Partium conspirationi semper excubandum. Indicata non ex partibus seorsim indagatis, at ex toto homine scrutato desumenda. Vel minimæ perspiciendæ sunt liquidorum Directiones. Quas affectant vias vel sibimet aperiri gaudent quærendæ, calcandæ; Si nec videre nec explicare queat, quidquid consulit Medicus, illud saltem sentiat & probet intimè. Naturæ opera æmuletur, facilitet, sustineat, erigat, stimulet, sed prudenter, nullatenus cogat.

II.

SI daretur humani Labyrinti filus, Ars nostra foret certissima, traditione disceretur, vel Pueri ad eam inaugurarentur, judicia forent nec difficilia, nec experimenta periculosa, imò Hippoctates evinceretur infidus & inutilis. Verùm quò plùs inquiritur cadaver, q ò plura in eò deteguntur, eò numerosiora circa viventis œconomiam desiderantur callenda. Lucem addidit incredibilem Culter anatomicus & adhuc non minimam exhibet quoad viscerum textum, figuram & situm; Mancus autem & impar quoad eorum indolem, sympathiam, consensum & usus. Hæc definivit sola Philosophia, asseruit Observatio, ambo peperere quæ veniunt,

SALUBRIS DOCTRINÆ DOGMATA.

1°. Homo non ſolis Rebus externis objicitur, Organa ſua diverſimodè finguntur. ex genio, voluntate, conſuetudine, ſexcentis vitæ officiis. Ipſe ergo varias ab animâ mutuatur larvas, nunc ita naturæ utiles aut nocivas, ut ab iis proficiſcantur cuivis privata temperies, morbique quoad genus ſimilis pro quolibet ægrotante diſcrimina, & idcirco variantis medelæ oportunitas.

2°. Leges mechanicæ ex quibus agit & agitur corpus, non à materiali tantùm organorum fabricâ oriuntur. Cognitu difficillimæ ſunt, ex eo quod aliquando diſſimiles, aliquando pares, aſt non pari modo, producant effectus, dum machinæ arte paratæ, ſimili tum cauſâ, tum effectu donantur, quapropter, ex iis crebrius comparatis ad corpus humanum, plerumque fallax elicitur analogiſmus.

3°. Fibræ & Humores arcto inter ſe connubio coëunt, unâ quaſi ſolideſcunt, unumque conſtituunt vigente ſanitate elaterem. Quandò & quandiù læſis duntaxat majoribus vaſis, merèque devehentibus micat inter ſolidas & fluidas partes divortium, morbus adeſt ſimplex; & vulgò commodum Naturæ conamen ad reſtituendam utrarumque harmoniam; ſi verò iſtud divortium minima obſidens vaſcula, jam à longo tacitèque ſerpat, aut propter quarumdam partium texturam ferociat illico, tunc graviores naſcuntur ægritudines, quarum aliæ brevi lethales, aliæ perennes, utpote ſingulæ ad criſim ineptæ.

4°. Per morbi tempora Partes circulum non deſcribunt, id eſt, ſecundùm ipſas pari, nec copiâ, nec velocitatis gradu circuunt Humores, mutatur proinde ipſarum figura ex eorum nunc redundantiâ, nunc penuriâ moxque alterutram ſequente acredine, idcirco ratione ſolidorum fiunt inſoliti motus, ratione fluidorum ſurgunt evacuationes novæ, aut ſolitæ ſecretiones ſiſtunt vel adaugentur.

5°. In affectu quocumque curabili, viſcus nec per ſe, nec omnino impeditur. Actio ſua minùs à proprio læditur delicto quàm à ſymptomatis aliorum viſcerum, ſympathicè laborantium, liquida tunc huc & illuc diriguntur, vel ad tardiorem promptioremve in arterias reditum, vel ad lentiorem, celeriorem, uberiorem, parcioremve exitum, donec partes primario affectæ, ſuſpicatum ſed non ſignis declaratum pathognomonicis, diſſipetur vitium.

6°. Hæcce liquidorum à naturâ ſibi providente Directiones modò ſufficiunt ad morbi ſanationem, modò pro partium textu intricatiori, debiliori rigidiorive imperfectæ ſunt, moxque aliena quædam genuinis morbi ſymptomatis adnaſcuntur accidentia.

7° Adnatis iis ſymptomatum ſymptomatis, etſi dirioribus & periculi plenis, certiùs medetur incipientibus quàm prævisis.

8°. Nulla aplicentur medicamenta nisi ſat motas & proinde manifeſtas, ſequendo ſæpiùs, emendando aliquoties, ciendo rariùs, turbando nunquam humorum, vel copiâ, vel ſingulari lentore, vel acrimoniâ peccantium Directiones.

I I I.

FAX Medicinæ iſtarum Directionum cognitio. Ut ſervandis iis tota Higieine, ita reſarciendis tota Therapeuticè. Eo ſingulari & potiori fine pollet iſta armamento triplici, diœtâ ſcilicet, venæ ſectione, catharſi. Quodque ſibi invicem vel opitulatur, vel officit, ſed aliud proximè & evidenter, aliud remoté & ſenſim ſine ſenſu, aliud ſolum, aliud cum alterutro, aliud cum utroque. Medicus proinde cogitat ſemper quid prius, quid poſterius ſit faciendum. Quas ad hunc morbum pro hoc ægro ponit leges, eaſdem pro altero vel obliviſcitur, vel deteſtatur. Aëris impreſſiones conſtantes celereſque novit, & ideo è longinquis regionibus advenam curare non dubitat tanquam indigenam; Paucis quantum in ſe eſt utitur remediis, ea tamen colligi vult & cumulari plurima, etſi natalibus, nomine non virtute pleraque diſcrepent. Iis ferè ſemper anteponit venæ ſectionem, licet plurimis ægris inviſam, Hæc ipſi eſt veruscirculationis Auriga atque in liquidis directionum ſaga moderatrix. Triplex diſtinguitur pro venarum loco brachialis nempe, jugularis, pedalis, aliter dicta ſaphænæ ſectio. Trina cuique dos eſt ſanguinis videlicet minuendi, ejuſdem per tritas ſolitaſque vias promovendi, ultimòque & conſequenter à parte affectâ deducendi. Individuæ ſunt eæ, ſive ſpontaneæ, ſive elicitæ Directiones. In ſtatu ſano cunctæ bene conſpiranti procedunt tenore, In morboſo una potiùs quàm altera fit reſpectu alicujus partis, aut ſic ſperatur timeturve. Quænam igitur vena ſécanda ſit, quatenus iſtas Directiones varians præſente morbo, maximi refert dijudicare. Si congrua fuerit, apta fit etiam vaſorum depletio, parique paſſu ſuccedunt feliciter derivatio & revulſio. Utriuſque extenſio ſive quantitas, non pendet à ſolâ evacuationis copiâ, id eſt pro eâ vel majori vel minori, Neutra abſolutè occurrit major minorvè. Menſurant utramque liquidorum remanentium Directiones, quas auget quidem nonnihil partis immediata & recens inanitio, ſed longè magis elaſticus organorum huicce parti reſpondentium conatus. Incumbat ergo neceſſe eſt Medicus detegendis ante venæ ſectionis uſum liquorum Directionibus. Iſta cognitio Summam omnium morbi ſymptomatum complectitur, ineunte igitur morbo vocetur Medicus ut illam aſſequi poſſit; Sine eâ

ſæpè ſæpiùs Derivationem accerſit dùm promovendæ Revulſioni ſtudet & viciſſim. Morboſo itaque ſublato æquilibrio vel exacerbantur ægritudines, vel iis doloſæ dantur induciæ. Sic quotidiè ſuffocantur febres aut increbreſcunt, Sic eas in utroque caſu excipiunt cæcitas, paralyſis, ſputio ſanguinis aut puris, empyema, aſcites, chloroſis, morbi hiſterici. Signa Directionum vel ſuccorum craſſitie tenebricoſa ſunt, aut eorum tenuitâte vento perniciora; Ex ignotis liquidorum Directionibus, Morbi non abſurdè dicuntur maligni, id eſt ii in quibus planè incertus eſt eventus. In iſtis morbis præſens plerumque eſt revulſio, ſed quænam ægrè dignoſcitur, inde quantumvis oportuna ſit ſemper reformidari debet. Miros vel triſtes ac diuturnos parit effectus. Piiſſima igitur Patrum noſtrorum modeſtia qui eam nunquam propo, nebant, niſi ſeriò à pluribus Medicis in conſilium vocatis penſitatam, id eſt priùs perſpectis liquidorum Directionibus. Has nec Anatome nec Geometria detexit, nec indicavit Circino explorata canalium diameter quæ in acutis, præſertim vix momento ſibi ſimilis; Expendantur è contrà externè magis quàm intimè vaſorum compages, poſitio, figura & iter; Sic innoteſcunt fibrarum morboſa oſcillatio, humorum itus & reditus & proinde ex utriſque cognitis liquidorum Directiones. Obſervet præterea Medicus ſymptomata quibuſvis diebus, ſed potiſſimùm primis apparentia, tunc ipſi evidentiùs prodeunt ſpecies, modus & tempus Revulſionis arte ſua facilitandæ.

I V.

FOEDUS naturæ & artis Medicina. Hujus opus efficax revulſio eſt, arduum tamen & anceps. Species utpotè adaucti motûs, quo ſuccorum in alios congeneres impingentium & frangitur impetus & copia quæ par eſt, amandatur in quædam diverticula, per ſe libera aut quoquomodo aperta. Cavendum ne ex eo motu vividiori aut celeriori Sanguis in varias divellatur partes, hic morans, ibi currens, undè venarum aliæ flacceſcunt, aliæ extrà tonum turgent, vel coarctantur, liquidorum deindè diruitur commeatus, ſimul & ſecretiones præcipuè Abdominis & Cutis peſſumdantur. A derivatione animale robur. A revulſione quælibet optima ſecretio, cujus æmula ſapiens quælibet medicatio. Catharſis, veſicatorium, ſinapiſmus, opus ex ferro Chirurgicum, ipſemet victus quo tenuior, totidem ſunt Revulſionis genera. Quemadmodum ſecretiones gradatim perficiuntur, ita non ſubitò niſi raró, non ſponte fit, nec facienda Revulſio. Ad purgationem expectanda humoris maturitas ſive Coctio, vel ad inteſtina proclivitas. Expectandus pariter ad Revulſionem lymphæ dimovendæ novâ in venas directione refluxus, aut ipſius loco naſcens ſanguinis appulſus ad vaſa à centro motûs remotiora. Nihil evacuetur niſi redundans, nihil de-

rivetur, nisi appellens, nihil revellatur, nisi sequens & retrocedens. Viscerum anfractus variusque elater, diversa fluidorum crasis sat monent humores non esse movendos, nisi à natura priùs determinatos; secùs si temerariò quatiantur, si accelerentur, quæ sponte fiebat Revulsio, sopit furitve; Crises idcircò fugantur aut symptomaticæ vastant evacuationes, aut contingunt Hemorrhagiæ Narium, nunc pauciores nunc copiosiores, vel oriuntur Sudores nec die, nec quantitate, nec loco idonei, vel Urinæ fluunt perperam & tinctæ, & compositæ, & mensuratæ. Non minora sequuntur discrimina, quando venæ sectione, quæ competebat, nimiùm dilatâ aut prorsùs rejectâ, languet aut omninò cessat, deficiente artis subsidio, jam inchoans Revulsio. Huic ergo tempestivè succurrendum. Eadem tamen absque prævià humoris morbidi Directione interdum est tentanda. Sic in apoplexiâ vel hypocondriacâ vel histericâ, sic in mobili novoque mammarum Cancro, sic in affectibus à Lochiorum, Menstruorum, Hæmorrhoidum inopinâ morâ ortis. Qui in hisce casibus recens deviant humores, citò ad pristina revocantur loca. Præviam è contra humoris peccantis Directionem cæteri postulant morbi, scilicet chronici tardiorem, acuti velociorem. Natura suis viribus moveat quamcumque Revulsionem, antequam Medicus suis eandem satagat perficere auxiliis. Nec oriens, nec explenda censeatur, nisi dominetur, villorum robur vel sine quo nulla Revulsio à naturâ fieri potest. Istud potissimum debet attendere Medicus atque dignoscere. Signa inchoatæ Revulsionis sunt alia in chronicis, alia in acutis. Denunciatur in chronicis artuum pandiculatione, oscitatione crebrâ, respiratione singultuosâ, lumborum gravitate, ventris obmurmuratione, aliisque tum histericis tum melancholicis passionibus. Significatur in Acutis duobus, symptomatis nempè delirio & hypocondriorum molli ac indolente tumefactione. Hæc & illa signa sanguinem intra venæ portæ ramificationes turgidum nerveos comprimentem abdominis plexus, cerebrumque sympathicè convellentem arguunt, sicut etiam cujusdam Plethoræ speciem, factæ tandem localis & circumscriptæ & ideò urgentis. Tunc naturalis Revulsio reddenda plenior, pacatior, securior & utilior, istudque fit ope evacuationis conferentis, ratione temporis, vasis electi, quantitatis, & potissimùm ratione motüs conciliandi, quo Morbi tantùm symptomata Medicus curat, ut in quacumque legitimâ curatione fieri debet, dum causis unicè prospicit Natura.

V.

REVULSIONEM evidenter à Naturâ motam Medicus explet ac perficit, ope ut plurimùm Venæ sectionis, sed non hujus, non cujuslibet, non quovis morbi tempore, nec quotiescumque re-

petitæ. Sæpiùs & meritò vena Brachialis inciditur, quatenùs præparans ſemper, aliquando determinans & eâ ratione à cerebro, corde, pulmonibus diſtans, quâ ſine vi aut impedimento minuti Sanguinis elevat renixum. Thoracis affectibus ſingulariter prodeſt & ideò frequens felixque eſt Pariſiis. Præcellit cæterarum venarum ſectiones, ſola ſibi plerumque ſufficiens, ad quaſcumque liquidorum Directiones, dum aliæ venarum ſectiones, eâ omiſsâ rariorive, vel impares, vel ancipites, quandoque exitiales. Ipſius vices gerit apud quaſdam gentes, ut in Hiſpaniâ, eodem fine & emolumento celebrata Saphenæ ſectio. Hiſpani tenuiori cibo utuntur, iis eſt uberior fixiorque perſpiratio, non tam operibus navant quam ſtudiis, rariùs proindè laborant pulmone, quàm abdomine, Liquida ſecretionum craſſiorum apud ipſos lubrica ſunt, oleoſa, bilioſa, viſcoſa parum, ceſpitant haud ægrè alvumque ſubeunt, ibi ſiſtunt, tument, angunt centrum exuberantiæ declarant, evacuationem ideò proximam ſimul & venam Pedalem ſuggerunt aperiendam, utpotè Brachialis inſtar, illæſo liquidorum motu, merè inanientem. In quibuſdam aliis regionibus ut in Galliâ noſtrâ, Eadem venæ Pedalis ſectio non ſolùm evacuat, ſed propriè revellit, quapropter nec initio cujuſlibet morbi, nec ſæpè ſuadenda. Galli præſertim Pariſienſes aerem hauriunt nutrientem, ipſis eſt cibus fortis & tenax & inde perſpiratio incerta, celeriter audent, & conantur, ſuccorum interceptioni frequentiùs quàm ingurgitationi viſcera ſua obnoxia ſunt, ſuus etiam brevi tumet ſanguis, lentiùſque progreditur, aliqua ergo innuitur Revulſionis tum naturalis, tum artificialis opportunitas, ſed ut artificialis Revulſio fauſtè fiat, eæ ſunt adhibendæ Cautiones. 1°. Quæcumque organa venæ ſectione Brachiali ſat depleantur. 2°. Abſit in pulmonibus vel minima inflammationis ſuſpicio. 3°. Inſtet ſanguinis vergentis & â parte affectâ jam per ſe recedentis orgaſmus. Revulſio catharſeos inſtar duplex eſt infera nempè & ſuperna. Alterutram indiſcriminatim vel moliri vel experiri piaculum eſt. Quæ potiſſimum præcipiti Saphenæ ſectione excitatur damnoſior. Abdominis enim viſcera vel majori vel promptiori liquidorum detractione, nunc criſpat, nunc vehementiori detruſione laxat, liquidis ergo regurgitantibus malevè retortis graſſantur comata, tetani, ſpaſmi, diri pedum dolores. Iſta etiam Saphenæ ſectio, in verâ pulmonum inflammatione præcavendi aut ceſſandi deliriis occaſione adhibita, ipſum ſæpiſſimè aut accerſit aut ita irritat, ut huic jungatur furor & tunc mors pulſat certiſſimè. Eſt cuique ſuus organo circuitus. Quandiu in majores arterias quiſque collimat tandiù natura ſuas perficit criſes. Servatur iſte confluxus tardè ſecando venas à corde remotiores, promptè priùſque ferè ſemper incidenda vaſa cordi proxima. Derivatio promovenda ante Revulſionem. Sibi fa-

vent invicem, ſuntque cujuſlibet venæ ſectionis inter ſe reciprocantia opera. Ipſamet Jugularis ſæpè ſæpiùs revellit, undè ſingulariter convenit ad renovandum in Variolis phtyaliſmum, ſed ut felices ſint tùm jugularis, tùm Pedalis venæ ſectionis effectu, iſta cavenda ſunt.

1°. Jugularis venæ ſectio nunquam uſurpetur, nisi tempore erethiſmi membranas cerebri ad niſum ſollicitantis.

2°. Idem occurrat in abdomine erethiſmus ad Saphenæ ſectionis præſtantiam.

3°. Si deficiat, optimè accerſitur quoad Caput admoto ponè aures & collum per aliquot horas Veſicatorio antè Jugularis ſectionis uſum. Sic ſuſpensâ dura meninge, ipſius præcavetur lethalis concidentia.

4°. Si deficiat in abdomine iſte erethiſmus, excitetur quibuſdam Stibii granis antè ſaphenæ ſectionem propinatis, ſic Emeticum ſuſcitans abdominis viſcera pernicioſas avertit liquidorum ſtaſes.

5°. In utrâlibet iſtarum venarum ſectione diligenter examinetur Pulmonis conditio, iſtud etenim viſcus duo corporis extrema Cerebrum nempè & Abdomen ſingulariter afficit & viciſſim ab iſtis duobus extremis ſingulariter afficitur. Rerum externarum accipit impreſſiones & quas alio fiunt temperat, Quæcumque medicamenta regit, ipſammet Naturam fovet, Dux eſt quarumcumque in liquidis Directionum, & ab ipſo potiſſimum cujuſcumque curationis felicitas.

Curſus ergo Liquidorum nativus facilitetur tantùm, nunquam cogatur; Malè revelluntur quæ malè derivant.

Ergo non Cogenda Revulſio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joſephus-Exuperius Bertin, Supremi Valachiæ & Moldaviæ Principis Medicus Primarius.

M. Joannes-Ludovicus Baude de Lacloy, Rei Herbariæ Profeſſor.

M. Carolus Dionis.

M. Gedeon de Rabours.

M. Laurentius Perret, Chirurgiæ Gallico Idiomate Profeſſor.

M. Joannes Midy.

M. Camillus Falconet, Salubris Conſilii Regii Socius, & è Regiâ Numiſmatum Academiâ.

M. Hyacinthus-Theodorus Baron, Antiquus Facultatis Decanus.

M. Joannes-Franciſcus Couthier.

Proponebat Pariſiis, PETRUS ARCELIN, Matiſconenſis, Doctor Monſpelienſis, Saluberrimæ Facultatis in Univerſitate Pariſienſi Baccalaureus, A. R. S. H. 1744, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Pariſienſis Typographi, 1744.